

PRIMA PARS CAPITIS.

Vocatio Abrami.

- 1 Dixerat autem Iehoua ad Abram: *Abi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, in terram quam ostendam tibi.*
- 2 Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum: & eris benedictio.
- 3 Et benedicam benedictibus tibi: at maledictibus tibi maledicam: & benedicentur in te omnes familia terre.

EXPLANATIO.

DIXERAT AVTEM IEHOVA. A Pagninus *וְאָבְרָם* reddit per plusquã perfectum, ad exprimendam *ἱστῶσαν* historiam. Nostri insuper copulam reddunt causaliter: *Dixerat enim*: vt intelligatur, quod Therah pater cum filiis deserta patria concessit in Haran, perrecturus inde in Cananãam, nisi morte fuisset præuentus, non temere aut cæco affectu, sed diuina factum vocatione, quæ hic exponitur. *Questio* est vbi & quando acceperit Abram hoc oraculum. Si ordinẽ historiẽ spectemus, videtur accepisse post obitum patris in Haran. Verum si iam peregrinabatur extra patriam in Haran: non erat, cur nunc iuberetur patria exire. Nec iubetur exire allegorice, hoc est, mente, vt aliqui volunt, sed proprie, hoc est, corpore. Non enim licet fingere, Abramum corpore quidem idololatrias deseruisse, mente vero & animo apud eosdem mansisse, aut *ὑποπέσειν* reuertendi ad eos habuisse. Qualis enim hæc fuisset eius fides & obedientia, quæ adeo celebratur? Hebr. 11. *Deinde* iubetur exire *è terra sua, è cognatione sua*. At terra eius, hoc est, natale solum non fuit Haran, sed Vr Chaldæorũ. Ibi eius agnati, consanguinei, amici degebant. Ibi igitur accepit oraculum. Iubetur exire *è domo patris sui*. Patrem ergo adhuc superstitem habebat. B. Stephanus Acto- rum 7. 2. optime expedit hunc nodum dicens, cum Abram adhuc esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Ha-

ran, Deum gloriæ ei apparuisse & dixisse, quod hic habemus: *Exi è terra tua & cognatione tua & veni in terram, quamcunque tibi monstrauero*: Et tunc Abramum exiuisse è terra Chaldæorum, atque habitasse in Haran, inde vero postquam mortuus esset pater eius, concessisse in Cananãam. Vnde manifestum est, in Vr Chaldæorum, superstite adhuc patre Abramo oraculum hoc datum fuisse. Obiter notandum, Stephano Mesopotamiam & terram Chaldæorum idem esse vers. 2. & 4. quoniam Chaldæa pars erat Mesopotamiæ orientalis, vt topographi testantur. Frustra vero aliqui duas vocationes fingunt, vnã in Chaldæa, de qua Stephanus Acto- rum 7. 2. alterã in Haran, de qua hic Moses. Neque enim Stephanus habere potuit nisi ex Mose. At hic nihil de gemina vocatione. Augustinus libro 16. cap. 16. de Ciuitate Dei, vt saluet Eusebij Chronologiam, vult omnia eodem anno facta esse: quod Abraham vocationem accepit, quod in Haran habitauit, quodque inde in Cananãam profectus est. Sic etiã Eucherius Augustini cõpendiator: quod ideo faciunt, vt ab hoc anno 75. Abrami annos 430. seruitutis inchoet. Sed historia diuersum arguit. In Haran n. Abrã & Loth facultates mediocres acqsiuisse dicuntur c. 12. 6. quod vno anno cum exitu ex Chaldæa, & cũ morte Therah fieri non potuit. Verum de hoc postea c. 15. Nunc satis est attendere *ἱστῶσαν* historiã, hoc

Q99 2 est.

h. lib. 2.
in Gen.